



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

8. Curriculum virtutis & gloriæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

VI. (f) Sic Hippodamia Oenomai Regis Elidis & Pisarum filia, cum ob præstantiam formæ à multis prociis expeteretur, curuli certamine provocatos, victosque mortem subire coëgit. Referunt enim Poëta, *Oenomaum* concessisse procantibus, ut *Hippodamiam*, dum stadium percurrerent aurigando, in curribus, atque adeò in sinu haberent; quos ipse à tergo, velocissimis equis, & è ventorum flatu creatis, cum hasta sequebatur in effedo, celeritateque præversos, ab averfa corporis parte transfigebat. Quo in certamine etiam Pelops (de quo suo loco) periturus fuerat, nisi *Myrtilum*, Oenomai aurigam, pollicitis corrupisset, ut ille clavos modiolis rotarum non immiserit, adeoque curru fracto & dissoluto, Oenomaus exciderit, moriensque Myrtili caput devoverit, obtestans Pelopem, ut vicem suam ulcisceretur, quod & factum est. Cum enim Myrtilus sibi perfidiæ præmium à Pelope posceret, ab eo in mare dejectus est, quod ab eo *Myrtoum* postea appellatum. *Euripides in Oreste*. Nihil aliud, inquit Mythologus lib. 7. c. 8. est vita humana, quàm certantem & contentio, in quâ multa pericula & calamitates subeundæ; fortiterque cum voluptatibus pugnandum; à quibus si vincimur, in perniciem prorsus ducimur: ac si victores extiterimus, viri fortes ac constantes habebimur, virtutemque ac famam, tanquam Hippodamiam consequemur, & velut sponsam ducemus domum. Hæc ille. Sed pauci, præ dolor! felicem in hoc hippodromo fortiuntur exitum. Plurimos, antequam ad metam speratæ voluptatis ac libidinis perveniant, Oenomaus cum hasta, Mors cum spiculo insequitur, prævertit imparatos & improvidos futurorum, inque medio cursuræ spatio, configit, atque è vita in orcum exturbat. Et verò Hippodamia in sinu procorum aurigantium, subitoque teli adactu pereuntium, ostendit impuræ libidinis cupiditatem, esse *viperam in sinu*, & præsens exitium in tergo: dum cæco impetu fertur, nec considerat, quid sequatur.

VII. (g) Si Myrtilum spectemus, imaginem refert lenonum & lenarum, & quorumvis improbitatis conciliatorum, ac conciliatricum, quorum perfidia ac lenocinandi, corrumpendique nequitia, plerumque in eos ipsos recidit, & in stygias undas detrudit.

VIII. (h) Atalantæ & Hippomenis cursum ad finem sublimiorem referas, argumento sumpto ex verbis Apostoli 1. Corinth. 9. *Sic currite, ut comprehendatis*. Est enim stadium vita præsens; in hoc stadio & certamine antagonista, *Mundus, Caro, Damon*; Agonetheta *Deus, Meta, Aternitas*; bravium cœlestis *corona*; pœna victi, *reprobatio & confusio*.

Xx

(f) Voluptatis stadium. (g) Lenones & lena. (h) Curriculum gloria.

fusio. In hoc stadio strenuum se Cursorem exhibuit Paulus, qui de se ipso. 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiae.* Tam felicitis curriculi causa quæ? Exponit ipse ad Philippen. 3. *Quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor.* Nimirum sicut stadiodromi, dum currunt, non respectant, quantum spatii transmiserint, sed quantum superfit ad metam, eoque toto conatu & impetu in cursu feruntur; ita Paulus ad metam propositam decurrebat, præteritorum obliviscens, & ad anteriora mentem, omnesque cogitationes intendens, non contentus prioribus operibus in virtute gestis, sed ad majora & excellentiora enitens. D. Gregorius hom. 3. in Ezechielem. Ante nos, inquit, æterna sunt, post nos temporalia. Quia & illa pergentes invenimus: & ista, recedentes, quasi post dorsum relinquimus. . . . .unc iter facimus, & ad æterna properamus: post mortem vel æternam beatitudinem, vel sempiternos cruciatus reperiemus. Æterna nos expectant; temporalia nos deserunt: illa sunt ante nos, quia ad illa tendimus; hæc post nos, quia illa relinquimus. Qui retro igitur respicit, ad temporalia oculos flectit; qui ea, quæ à fronte sunt, intuetur, is æterna contemplatur. Et hoc, juxta Tullium, est *Cursum vita tenere*, Nimirum salubriter destinata persequi, & ab incepto virtutis tramite non deflectere. Exiguum namque, ut idem ait, vitæ curriculum nobis natura circumscripsit, immensum gloriæ.

## SYMBOLUM LIX,

### Laomedon perjurus,

11. *Metamorph. Homerus in Iliad.*

### Ethicè.

1. A Deo operum primordia capienda. 2. Perjurii pœnæ. 3. Sacrilegium punitum.

**L** *amedontem*, Ili filium, Trojanorum Regem, novam urbem in Phrygiæ littore molientem, cum opus ingens tardè succederet, adeunt Neptunus & Apollo, humano tecti schemate, suamque illi addicunt operam. Amplectitur is lubens oblata obsequia, & pro labore, certum